

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum
Indultu Facultatis Inclytiae Philosophicae In Celeberrima
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

Lipsiae, 1698

§. IIX

urn:nbn:de:bsz:31-102642

vilegia subdividuntur in *singulariter & communiter talia*. Illa uni,
hæc pluribus personis conceduntur, & quidem vel *roti corpori*, seu
universitati, vel *certo ordini*. Respectu finis alia sunt *favorabilia*, alia
odiosa; Quod passim jurisconsulti Romani explicant. Cæterum
divisiones privilegiorum ab ipsis à causa impulsiva petitæ in *Gratio-*
sa & remuneratoria, *pura & conventionalia* in disciplina J. N. nihil
utilitatis præstare videntur. Effectus enim, quem *Jus Civile* hic sta-
tuit, facilitas nimirūm, aut difficultas revocandi, non agnoscitur
à J. N., utpote quo omne privilegium, nisi illud revocandi jus sibi
concedens reservaverit, est irrevocabile. Sanè enim adeſt & trans-
ferentis jus, seu concedentis voluntas, & alterius, cui fit concessio,
acceptatio, & proinde jus plenum in eum, & hinc etiam non secus,
ac in donatione contingit, irrevocabile in acceptantem transfertur.
Sed quia tamen Principes & possunt, & solent revocare; inde sua-
ratio J. C. constat, obquam divisiones has introducere potuit. In-
terpretationem privilegiorum quod attinet, notandum eam *latè* sie-
ri debere in *præjudicium concedentis*, utpote qui quām plenissimè
subvenire voluisse creditur; strictissimè autem si de tertii agatur
præjudicio; cùm Princeps non præsumatur facilè privatorum jura
violaturus. Extinguntur privilegia (1.) *Voluntate concedentis*, si
cum jure revocandi nimirūm concessa fuerint. (2.) *Extincta quali-
tate*, intuitu cuius concessa sunt. (3.) *Interitu totali subjecti*, cui in-
hærent. (4.) *Urgente justâ causâ* aliâ; ut *abusu privilegii*. Sed ca-
vendum tamen sedulò Majestati, ne indistinctè & promiscuè dispen-
satio à Lege, aut privilegium subditis concedatur; tum, ne tam fre-
quentē relaxatione vinculi legalis autoritas legislatoris labefacte-
tur; tum ne æmulationi & invidiæ periculose inter subditos occasio
suppeditur; cùm nihil inter eos, si fuerint merita paria, magis o-
diosum sit, quām inæqualitas.

§. IIX.

Diversa à Dispensatione est *equitas*, cuius varia est apud auto-
res explicatio; unde confusioni facilis origo. Difficultas tamen
omnis sic expediti posse videtur. Nimirūm *æquitas* accipitur vel *ab-
solutè*, vel *respectivè*. *Absolutè*, quatenus æquipollit *justitia*; respe-
ctivè, rursus dupli modō capitur, vel in sensu generaliori, vel spe-
cialius,

cialius. Generaliter sumitur pro quavis rectâ legis generalis ad ca-
sus obvenientes applicatione; quô sensu à Struvio, & JCtis aliis ca-
pitur; specialius autem juxta mentem Pufendorfii, aliorumque ac-
cepta vox æquitatis denotat eam legis applicationem, quâ ostendi-
tur, occurrentem casum ad legem præsentem generalem non perti-
nere, seu non sub ea comprehendendi ob peculiares concurrentes cir-
cumstantias, propter quas ipse legislator, si adesset, pronunciatu-
rus esset, se sub lege generali præsentem casum comprehendere nō
voluisse. Quando enim Princeps legem fert, eam concipit gene-
raliter & indeterminatè, & quia omnes peculiares casus prospicere
non semper potest, inde res æqui & prudentis judicis arbitrio com-
mittitur, ut is non solum legem latam ad casus singulares in vita
civili occurrentes applicet, sed & quandoque ostendat, circum-
stantias, quæ certum casum comitantur, non pati, ut legis gene-
ralis dispositio ad eum applicetur. Et hanc significationem haud
dubiè respicit definitio Aristotelis, quæ alias valde obscura videtur,
& ita habet: Εἰ μείνεια ἐστὶ πανόρμων εὐοιας δικαιοσύνης
δικαιολογίας, καὶ νοτατὰ ρήματα. Vid. Eth. 14. seu Correctio juris legiti-
mi cōparte, quâ deficit ab universale, non secundum legem. Tripli-
tem hanc æquitatis significationem illustrò exemplo. Accipiamus
legem aliquam, v.g. Juris Nat. quæ hæc sit: *liberi in matrimo-*
nio incundo parentum consensum adhibere debent. Hæc lex in se spe-
ctata, quatenus dictamini rectæ rationis convenit, *æqua* dici pot-
est seu ei inesse *æquitas*, *absolutæ* scilicet accepta. Porro quatenus
jam concipimus, legem hanc generalem applicari, judicemque se-
condum eam casus singulares obvenientes dijudicare, applicatio
hæc seu dextra interpretatio in pluribus casibus facta dicitur *æquitas*
relatæ, & quidem in significatu *generali*. Ponamus autem jam, esse
filium, qui honestæ foeminæ matrimonium, & ea vicissim arden-
ter concupiat; sed repugnare parentes, qui tamen nullam sui dis-
sensus causam allegare queant, quamquod dissentiant. Hic pru-
dens iudex pronunciabit, svadere æquitatem, ut neglecto Paren-
tum consensu nihilo séculis matrimonium consummetur; quod dum
facit, in *speciali significatu* acceptam *æquitatem* exercet, seu ostendit,
circumstantias præsentis casus non ferre, ut legis illius Nat. gene-
ralis

ralis dispositio ad eundem trahatur. Ex dictis fluit decisio duarum quæstionum, quæ vulgo agitari solent, (1.) *An detur aequitas scripta*, seu *materialis*, uti vocant? Nam id alio sensu affirmari non potest, nisi quatenus æquitatis vox in generali significatione sumitur, ut æquipollat justitiae; sic enim omni legi regulariter dici posse æquitatem inesse, supradiximus. (2.) *An ē quomodo aequitas à dispensatione differat?* Differunt etiam potissimum quoad *causam efficientem*, & *objectum*. *Causa efficiens* dispensationis est *Majestas*, seu *is*, qui & faciendi, & tollendi legem potestatem habet; *aequitas* autem exercetur à *Judice quovis*, seu *Magistratu*, cui facultas secundum leges pronunciandi data est. *Objectum* dispensationis sunt *actiones*, quas respicit legis dispositio; *aequitas* autem (scil. *specialis*) versatur circa *casus*, qui sub lege generali non continentur.

§. IX.

Quatenus *actiones* considerantur in relatione ad normam legis, divisio carum abit in *bonas*, *malas* & *licitas* seu *indifferentes*. Et *indifferentes* quidem dicuntur, quarum exercitium non est lege limitatum, aut determinatum, sed libertati voluntatis humanæ plenissimè relatum. *Bone* sunt, quæ ad normam legis exactè congruunt. Exactè, inquam, seu per omnes partes; Nam si vel in minima parte aberraverit ab ea *actio*, desinit esse bona; quemadmodum linea ab Architecto aut Geometra ad normam exacta, si vel in minima parte non congruit, desinit recta esse. Ut autem *actio* normæ morali exactè quadret, requiritur, ut adsit in agente *qualitas debita*, *objectum à lege prescriptum*, *finis*, quem illa præcipit, intendi, ceteræque ab ea requisitæ circumstantiæ concurrent. Ita v.g. ut *bellum* sit *justum*, requiritur, ut adsit certa in *subjecto* agente *qualitas*, summum nimicum imperium, (2.) quoad *objectum*, ut geratur in eos, qui *injustè* offenderunt. (3.) ut proscopo sibi præfixam habeat reparationem pacis & quietis communis; item, ut alia mitiora remedia priùs frustà tentata fuerint. Quod si ergo vel unum ex hisce requisitis desit, *bellum*, quod geritur, *justi nomine* venire non poterit. Ex iis quæ dicta sunt, facile colligi potest, quæ sit *actio mala*, quæ nempe vel minimum à norma morali, seu lege ejus directrice deflectit. Ut si in bello non legitimus finis intendatur, sed vel gloria, vel imperii amplificatio.

§. X.